See next page.

JAHRESBERICHT

des

K. K. ZWEITEN OBERGYMNASIUMS

in Lemberg

für das Schuljahr

1891.

LEMBERG.
Buchdruckerei des Stauropigianischen Instituts.
Geschäftsleiter: Johann Puchyr.
1891.

Inhalt:

Peter Lewicki.

De natura infinitivi atque usu apud Horatium praecipue lyrico.

Pars prior.

Varia est indoles populorum, varii mores. Nonnulli captant usum rerum, alii tendunt ad altiora. Et illi omnem vitam in re rustica, forensi, senatoria, bellica peragunt; hi artes ad doctrinam et politiorem humanitatem pertinentes colunt foventque. Quodsi eius generis populi, id quod saepe fit, inter se conferunt arma, fieri non potest, quin ea pars exsultet, ubi plus sit audaciae ad pericula capessenda, inter ipsa pericula plus consilii ac virtutis. Hanc fortunam belli cum multae civitates, tum Romani et Graeci experti sunt; quamquam Graecorum ingeniosa atque docta natio ferum victorem brevi et ipsa in quandam rerecepit dicionem. Nam inde ab eo tempore cum eis magna esset cum Romanis communitas atque societas omnium rerum, non solum illi quidem ea quae ad victum cultumque pertinebant avidissime adripuerunt, verum etiam artificia litterasque alienas in suum transferenda existimarunt. Romani igitur libros Graecorum Latine vertere aut imitando exprimere, a rudibus principiis profecti paulatim orationem fingere expolire: nam ipsius orationis multus apud eos usus in re publica magnaque vis in omni negotio erat. Itaque oratorem vel eruditum celeriter conplexi sunt; post rerum scriptorem, qui res domi natas non solum oratione pedestri persequeretur sed etiam optimis versibus caneret; denique idem omnibus viribus in ceteris quoque generibus dicendi elaborarunt, quae eis potius grato ac iucundo ornamento erant. Qua in re verecundam illi quidem tuiti sunt Graecorum similitudinem, aliquando ut ad certum quasi suae vitae pervenirent modum, quaeque scripserunt ea et sententiis et verbis tota Latina ac domestica esse viderentur; quod in poëtis profiteri multi propterea dubitarunt, quod illi quidem divino quodam spiritu adflati non solum sententiarum amplam grandidatem novitatemque quaesiverunt, verum etiam orationis tam multifariis usi sunt ornamentis, ut vel eam quae est verborum struendorum trita consuetudo rarius densius abicerent repudiatam. Verum hoc ignari atque obtusi ingenii est, quidquid apud poëtas Latinos et a communi consuetudine orationis abhorreat et Graecae adsimile esse videatur, id omne a Graecis hominibus veluti a Iove patre temere repetere: nam hic ut in re magna certa via ac ratione agendum videndumque est cummaxime, et quantum licentiae quae conceditur poëtis omnino omnibus debeatur, et quomodo Hellenismus qui

dicitur aut inferri potuerit aut longius manare inlatus. Cui negotio homines doctos profecto ita nuper prospexisse video, ut quae diu occulta et quasi involuta essent ea maximam partem apperirentur neque tamen res uti aiunt ad umbilicum ab eis perducerentur. Veluti de infinitivo, ad quem homines docti Hellenismum vel maxime pertinere antea statuerunt, etiam post disputationes, quas sexcenti homines docti perscripserunt, diligentius quaeri potest, quae spatia ac curricula singuli poëtae adamaverint, ut hic illic ab illis quidem omissa quasi racemando conligantur. Itaque cum mihi ea quasi provincia evenisset, ut indicem, quem nostri ludi magistri hoc anno erant edituri, aliquo commentariolo praetexerem, magnopere laetatus sum, locum mihi datum de usu infinitivi apud Horatium maxime lyrico disserendi, propterea quod qui huic rei curam admovisset, ne omnino operam oleumque perderet. — si quid video — non erat verendum. Ceterum quo facilius a me inpetrari posset, quod professus sum, primum ipsa capita percurrenda visum est eius doctrinae, quae cotidianum usum amplecteretur, tum proprie in ipso Horatio circumspiciendum.

De usu simplicissimo infinitivi apud scriptores solutae orationis.

Atque ut inde incipiam, unde haec tota causa apta pendet, hominibus Latinis fere effluxisse videtur recordatio, infinitivum principio nomen verbale fuisse, quod innumerabili serie annorum extorpuisset; inde sine dubio factum est, ut eius usum syntacticum multo magis amplificarent atque inlustrarent figuris, quam alii homines, quorum notitiam viri docti tradiderunt. Cuius rei fundamenta profecto ita posuerunt, ut infinitivum ad verbi notionem traducerent eiusque notionis summam cogitarent temporis finibus circumscriptam. Nam cum ceteras distinctiones quae sunt personae numeri modi in infinitivo neglexissent, adeo ille debilitatus atque infirmatus ab eis est, ut iam nec suis viribus stare neque posset auxilia alius verbi respuere. Adfuerunt autem praesto multa verba, quae cum illas quas diximus παρεμφάσεις certamque formam actionis adumbrarent, quae et ipsa quod circumdaret magnopere requirebat, ipsa natura ad infinitivum inclinabant eumque sibi quasi socium petebant. Itaque vocabula, quae his officiis inter se respondebant, facillime coniungebantur et quasi unam efficiebant notionem, cui latera lacertique iam essent ad iudicandum. Hac ratione inita subiecerunt homines Latini infinitivum verbis »velle, nolle, cogitare, meminisse, oblivisci, constituere, cupere, studere, cunctari, solere, desinere, coepisse, posse, debere. sim«; deinde. nonnullis circumscriptionibus, quae vices verborum auxiliarium sustinere cogitabantur, cuius generis est »consilium capio (= constituo), in animo est, stat sententia (= cogito, volo), mos est (= consuevi), tempus est (= debeo), rectum, aequum, pulchrum, utile est (=debet vel vult aliquis)«; denique quibusdam verbis inpersonalibus, quae nullum »subiectum« continere dicuntur, reapse habent (convenit, expedit, iuvat, pudet, paenitet, taedet, miseret, opor-

tet). Inesse »subiectum« in verbis inpersonalibus vel inde perspicitur, quod ipsae eorum notiones verbo »esse, fieri« vel simili adposito ad vim enuntiationum accedunt, quae idem istis verbis declarare videantur; quae quidem cum habeant rationem cum personis certis, saepe verborum auxiliarium induunt et significationem et potestatem.[1]) Nonnunquam etiam hoc quasi remedium quo utaris in propinquo est, ut quae lateant semina iudiciorum in inpersonalibus ea verbo habendi subaudito in solem eliciantur, ut si dicatur »pudet me« intellegatur »pudor habet me« i. e. »in pudore sum« vel »pudeo[2])«, quod sane verum est verbum auxiliare. Quamquam hic etiam de singulari quadam animi perceptione eius cogitari potest, qui alicuius eventus cum non posset designare causam, quod eam nec in se nec in eo ad quem loqueretur ullo pacto suspicabatur, ad tertiam sibi incertam personam referre maluerit, ut »pudet me« fere idem esset ac »nescio, quis pudore vetet me« eademque lege, qua verba causativa, infinitivum deposceret complemento.

Sed iam dicendum est de verbis causativis, quae sint ista verba, qualemque cogitationem homines Latini animo informaverint, quod in eis admiserint infinitivum Quae quidem res miserabilis videri potest, proptera quod persona hic cum actione, quae adsignificatur infinitivo, nil a primo commune habet. Etenim hoc tenendum est in eis verbis, personam ita ad actionem incitari, ut demum aliquando fieri possit »subiectum«; quare Latini saepe eam recto casu exprimebant, actionem denotabant verbo finito, vim futuri quam omnino habere sententiam oportebat particula quae apta videbatur effingebant (inpero (tibi), ut eas): hac arte struxerunt illi quidem orationem post verba »cogere, monere, hortari, inperare, inpedire, prohibere«. Quamquam idem non adeo tenues atque opibus destituti fuerunt, ut non possent aliam quoque itidem iucundam invenire: via fuit ipsis per similitudinem, quam inesse illis verbis cum auxiliaribus animadverterunt. Ita enim expendebant atque iudicabant: quicunque cogeret vel aliquem prohiberet actione, eum huic ipsi aut parare necessitatem aut agendi potestatem adimere adumbrata notione instrumenti, cuius significationem aliae linguae omittere possunt vel ab initio non addunt[3]); inde ad eas ipsas, quas mente intuebantur notiones, orationem quasi dirigentes infinitivum conlocabant oportune ad verborum auxiliarium rationem, id quod fieri potuisse illa ipsa verba passive dicta demonstrant (cogo te venire, cogeris venire). Atque Latinos hac structura saepe laetatos esse post verba quae supra dicta sunt, tum sola et una et eodem iure post »docere, adsuefacere, iubere, sinere, pati, arguere, insimulare« nihil fere est, cur moneam: hoc solum videor iam quasi iure meo vindicare, ut eos qui haec sinistre accipere possint etiam etiamque oratos esse velim,

---

[1]) cf. Apoll. de constr. III. 32, 22: Egger. notions element. de grammaire comparée p. 84; Schoem. Lehre v. d Redeth. p. 29 ff.

[2]) de verbis pudendi, poenitendi sim. personaliter antiquitus usurpatis cf. Prisc. XI. 20.

[3]) Hom. Od. XXIII 258: *θεοί σε ἐποίησαν ἱκέσθαι οἶκον.*

ne eam quam quaerimus structuram alia confundere audeant, quae quidem specie saepe est vicina re plurimum dissidet: nam, si dicitur »iubeo te venire«, premitur obiectum certa actione definitum; verbis »iubes pontem rescindi« actio indicatur certo subiecto adornata.

De infinitivo cum accusativo subiecti coniuncto et ceteris quibusdam.

Et quoniam in eum locum perventum est, non alienum esse videtur breviter enarrare, et quibus verbis »infinitivus cum accusativo subiecti« a Latinis adiungatur, et qualis sit huius structurae causa origoque. Atque verba permulta esse, quae ad eum modum conponantur, ut infinitivum cum accusativo comitem sibi adsciscant, nemo profecto est, quin videat: nam et verba sentiendi ac declarandi eorumque verborum circumscriptiones in eo numero sunt ut »video audio, sentio, puto, spero, dico, adfirmo, scribo, nuntio, adparet, elucet, constat, perspicuum est, communis opinio est, alia«; et verba adfectus quae dicuntur huc accedunt, puta »gaudeo, laetor, glorior. angor, sollicitor, sim«; et verba auxiliaria quorum supra fecimus mentionem, cum plene usurpantur , eodem vinculo societatis continentur. Unde patet, nihil omnino h. l. interesse, utrum verba activa sint an passiva, quod vel maxime inpedimento est, quominus huic structurae adpropinquare possis ratione. Neque tamen desperandum est de explicatione huius rei, quae nihil videatur praeter sincerum integrumqne iudicium requirere: certe uti possis virorum doctorum auctoritate, qui omnium quicunque scripserunt vel locuti sunt de rebus grammaticis exstiterunt et subtilitate et suavitate disserendi facile principes, si passivis quoque neutrisque verbis proferri adtributiones statueris, quae aliquid obiecti in-tar quasi claviculis conplecti atque circumvestire debeant[1]). Nam istarum adtributionum cum obiectum constet actione ad aliquod subiectum pertinente iam utrumque intellegitur libertatem qua utatur, sententia solute dicta amittere debere, et subiectum casu accusativo significari — ceteri casus sustinent partes adtributionis, definitionis, condicionis nominum, verborum — et actionem omnibus quae sint integri subiecti relationibus separatis effingi infinitivo, quae verbi forma quasi fluidam habet notionem, ut vel casuum possit quodam modo coire adfinitatem. Quod cum fiat, redundare tamen in infinitivo nonnihil potestatis ad subiectum vocandi, quam artis scriptores copulae tribuant, ipsa exempla docent; nam, si dicitur »video legere«, statim quaeritur de eo, quem legere videas, uti nudum quoqe »legere« eius nos admonet, qui legere possit, velit vel debeat; quod quidem vel maximo documento est infinitivum

---

1) Schoemann, Lehre von den Redeth. p. 46 ff.; id, Jahrb. f. class. Philolog. v. Fleckeis. 1869 p. 218; Jacobs, Mützels Zeitschr f. d. Gymnas. Wesen l. 3 p 38 ff. u 51.

c. m. l. vim verbi obtinere, accusativum c. infinitivo speciem enuntiati retinere cosmumque perfectum efficere, in quo et agentis partes invenias et actionis[1]). Sed haec cumulatius augere aut dicere separatim de accusativo c. infinitivo solute usurpato in serendis querelis, diffundendis iris, inrisionibus denique anhelandis, cum res in aperto sit facilemque praebeat aditum, alienum ab hoc loco videtur; fortasse non erit alienum in transitu leviter adtingere, etiam plena verba quae supra dicta sunt a me ad vim auxiliarem depressa simplici infinitivo coniungi posse; quem tamen usum in angustum exiguumque a Latinis ita conclusum fuisse, solum uti ei post verba dicendi ac sentiendi passive dicta-neglectis tamen temporibus, quae participium perfecti haberent—locum darent: unde ipsos ratione cogitandi magis obiectiva delectatos esse, facile perspicitur (dicitur, traditum est tuum patrem patriae amantissimum fuisse; milites in hostem ire iubentur; malum mihi videtur mors esse). Reliquum est, ut explicandum esse videatur, qua via infinitivus suum praedicatum casu nominativo, accusativo vel dativo accipiat; nam hic quoque casus apud Latinos usu venit (licet). Sed illas structuras (videtur esse beatus, patitur vocari Caesaris ultor, non negaverim me esse beatum) explicari adtractione eodem iure, quo verbum finitum cum infinitivo coniunctum unam possit efficere notionem, nemo est, quin viderit; hanc fieri per synesin adtractione, certissimum est (licet mihi esse otioso).

De infinitivo loco substantivi posito.

Verum ipsa res admonet, ut tandem paucis expediamus infinitivi usum substantivum qui dicitur, qui sane dupplex est. Et primum quidem infinitivus, quoniam pars orationis est, sicuti alia verba, ubi ipsa vocabula respiciuntur, substantive usurpari potest: bene enim habet se illud »frequenter Latini ac et atque in significatione similitudinis accipiunt«, »cavere in morte non dicitur«. Sed infinitivus, quem ad subiectum inclinare supra indicavimus, etiam aliud substantivum fieri potest, quod et illam quam diximus potestatem ad subiectum revocandi fere omnem amittat et solam notionem retineat in actione cogitatam. Quod tamen novi generis substantivum cum deficeretur flexione neque sustentari articulo a Latinis posset, mirandum non est, quod solo recto casu vel accusativo (rarissime cum praepositione) in lingua Latina utebatur[2]), qui casus quasi lenissimum imperium in nominibus exercebant (nam et partiri ipsum et definire – illius exercitationis subtiliter disputandi est; beate vivere alii in alio, Epicurus in voluptate ponit; ut inter optime valere et gravissime aegrotare nihil prorsus dicerent interesse): in ceteris casibus, qui sine dubio sicuti ipse denominativus ab accusativo

---

[1]) alii alio modo hanc structuram explicare conati sunt, qua de re vide quae infra adnotavi.

[2]) accuratius de hac re disser. Haase, Reisigs Vorles. p. 763 adnot. 601.

profecti sunt quique maiorem significationis diversitatem continebant, quam quae eadem forma indicari posset, confugiebant Latini, ubi ipsis nomine verbali opus erat, ad gerundium (etiam post praepositiones accusativum exposcentes), quod ania (in ling. slav. ЯНИЄ), andja terminatione formatum ad vim verborum substantivam accedebat[1]) omniaquae quasi tormenta declinationis perfacile subibat. Quod quidem cave ita dictum putes, quasi gerundium, in quo nihil principio referebat, utrum actionem an passionem declararet[2]), modo vicarium succedere infinitivo neque in bonis habitare vel haerere suis uti aiunt arbitremur; quod, si verum quaeritur, contra est. Namque gerundium ipsa natura nomen verbale factum est, infinitivus cuius vis substantiva apud Latinos omnis fuit obruta oblivione progrediente demum aetate, postquam notiones sola mente percipiendas illi quidem effingere didicerunt, consecutus est certis casibus eam quam quaerimus potestatem. Accedit, ut supina quoque adsimilem rationem habeant ad infinitivum uti gerundium, quorum illud quod in tum cadit speciem praebet nominis verbalis in accusativo positi, qui more vetusto ad significandum finem sine praepositione post verba eundi usu venit; alterum in tu desinit, tenet partes haud dubie locativi, qui dativum atque ablativum quodam modo coniungit, denique certis nóminibus adiectivis quae egeant conplemento snbiungitur aptaturque. Unde perfacilis coniectura est, Latinos in supinis diutius vim substantivam secutos esse quam alios homines, quorum nonnullis haec ipsa ad vim infiniti verbi deprimere placuisse ipsorum lingua optime docemur[3]). Iam praetermitto, supinum in tum desinens ad actionem in tu ad passionem pertinere, cum utrumque hoc a primo per eandem formam fuerit mixtum atque in unum conpositum, quia hoc in aperto satisque manifesum est: adnotandum videtur, Latinos etiam longius progressos novum genus substantivi statuisse, dico concretae uti aiunt notionis Certe Persius nobis adest, qui dicit »hoc ridere meum nulla tibi vendo Iliade 1, 122«, et alii nonnulli eodem modo. Sed haec apud scriptores pedestres non leguntnr.

Venio ad infinitivum, in quo summa inopia structurae conparet.

De infinitivo historico et absoluto.

Atque infinitivum historicum, quem h. l. absoluto praevertimus, pervulgatum est semper cum nominativo subpositi coniungi et in enuntiationibus primariis — nonnunquam etiam secundariis[4]) — ubique deprehendi, ubi a narrando ad pingendum transeatur, sive ille motus sit animi, sive certus status rerum, qui sub oculis ponatur, quod qui-

---

1) Jolly, Geschichte d. Infinitivs p. 198 sq.

2) Cic. fin. V 15 ita nati factique sumus, ut et agendi aliquid et diligendi aliquos et referendae gratiae principia in nobis contineremus; Cat. 4, 3, 6 malum opprimi sustentando ac prolatando nullo pacto potest.

3) Jolly, Gesch. d. Infin. p. 201 sq.

dem vario modo fieri posse vel his exemplis, quae sunt in nostra manu, conprobatur. Cic Verr. IV, 18 quod ubi iste audivit, usque eo est commotus, ut sine ulla dubitatione insanire omnibus ac furere videretur. Quia non poterat argentum eripere, ipse a Diodoro erepta sibi vasa optime facta dicebat: minitari absenti, vociferari palam, laerimas interdum vix tenere. Ibid. 28, 20... iubet illos discedere et candelabrum relinquere. Sic illi tum inanes ad Antiochum revertuntur. Rex primo nihil metuere, nihil suspicari: dies unus, alter, plures: non referri. Sall, Cat. 6 Igitur reges populique finitimi bello tentare, pauci ex amicis auxilio esse; nam ceteri metu perculsi a periculis aberant: at Romani domi militiaeque intenti festinare, parare, alius alium hortari, hostibus obviam ire, patriam parentesque armis tegere. Sall. Iug. 98 Iamque dies consumtus erat, quum tamen barbari nihil remittere atque, uti reges praeceperant, acrius instare. Tac. ab excess. II, 4 sed ubi minitari Artabanus et parum subsidii in Armeniis vel, si nostra vi defenderetur, bellum adversus Parthos sumendum erat, rector Syriae Creticus Silanus excitum custodia circumdat cet. Inest igitur dulce quoddam orationis genus multaeque reperiuntur argutiae in infinitivo historico, quippe qui vehementiorem animi motum prodat, modo excitet exspectationem, modo sedulitatem, studium vel celeritatem agendi proponat[1]; a quibus rebus longe abhorrere videtur, si quis infinitivum per detractionem verbi »coepisse« explicare velit. Neque vero audiendi sunt, qui hunc infinitivi usum a castris repetunt, ubi duces militum prae armis festinantius scripserint ad senatum, quam uti orationem adstringere possent lege severiore[2]). Qui quidem quamvis egerint festinanter, sicuti saepe egerunt, nemo tamen est, quin eos a legibus patriae orationis, quas pueri medullis inclusissent, vel strepente cornu temere discessisse putaverit. Quare videtur hoc firmissimum adferri, cur Latini h. l. infinitivum admiserint, quod concursu impetuque rerum, quarum habuimus mentionem, illi quidem expugnati atque distracti modo personas earumque actiones perciperent separatas neque earum ipsarum cogitationem rationemque inter sese inirent. Itaque facile intellegitur, cur personam nominativo actionem infinitivo significaverint; sententia enim, »quae habet infinitivum historicum, quasi materia sententiae est, quam iam formare et constructione coniungere debes, ut sententia fiat«[3]).

De infinitivo absoluto licitum mihi est pauca dicere: raro eum apud Latinos reperiri, fere in ipsis titulis occurrere praeceptorum quae ad rem rusticam pertineant, nihil h. l. detractione statuenda profici; neque enim, uti volunt nonnulli[4]), »debes hoc modo« ibi subaudiendum, sed infinitivus pro tota enuntiatione accipiendus est, quae pluribus verbis et per ambitum ita fere explicari debet: cum suave reddere, parare, coquere cet. vis«. Cf. Cat. de re rustica c. 109 vinum asperum quod erit bene et suave facere.

---

[1]) Ph. Wagner, Quaest. Verg. 30, quae est de in fin. hist.
[2]) Reisig, Vorles. über d. lat. Spr. p. 782.
[3]) Merguet, de usu synt. inf. Lat. maxime poëtico, p. 14.
[4]) Herzog. d. Syntax d. Inf. Jahrb. f. cl. Phil. 1873 p. 21.

Quid artis conparativae scriptores de infinitivo Latino senserint, iudicatur.

At dicet quispiam: Tune adeo dissoluto es animo, ut quidquid artis conparativae scriptores de vi substantiva infinitivi divolgarunt, id fere omne furca dimoveas Latio. Equidem non erubesco, quod spernenda abiciendaque censeam, quae ab eis Latio blanda obferantur dona. Non dicam, si qui infinitivum Latinum nomen verbale esse statuerit, statim ei de casu eius nominis quaerendum esse — nam hoc facile conceditur, terminationem re-se, ri-i (rier-ier) ad dativum spectare-; mitto porro quaerere, quo iure illi viri docti vim dativi et locativi latius patuisse censuerint, ut structo apud Latinos infinitivo satisfieri posset ab ipsis, quia id quoque in aperto est[1]): sed omnes, quas tum maxime habet structurae explicatio difficultates ab ipsis sublatas vel subreptas esse equidem hercle vix sustineo credere. Nam ut cetera silentio transeam, quibus orationi Latinae inferre vim videantur: quidquid virium dativo et locativo inesse potest in unum contractis ac consociatis cum accusativum et nominativum c. infinitivo coniunctum expugnatum eunt, non possunt illi quidem adpositis uti aiunt scalis summa harum structurarum superare fastigia. Atque primum iusto iure potest dubitari de accusativo infinitivi, quomodo ei adpropinquare queas ratione: quodsi eum a verbo regente aptum statueris, recte illud quidem se habebit »doceo te legere« (= zum Lesen, ut legere possis) — nam inde ab hac locutione viri docti ordiuntur—,tum »facio te ardere« (= zum Brennen, ut ardeas), »video te currere« (=im Laufen), »scio te magnopere laborare« (=in grosser Sorge), quaeque notione sunt vicina; non aeque facilem aditum habet illud »hunc unum R. consentiunt optimum fuisse virum«, »dico, maereo te in summum discrimen adductum esse«, quod explicari non potest, nisi verbum quod »accusativum c. infinitivo« ad effigiem quam quaerimus facile sibi socium adsciscat interponitur, uti verba maiore libertate ad sensum structa videantur (= sind einig in der Richtung zu wissen diesen allein in cet.; ich gebe die Erklärung ab, haerme mich ab in der Richtung zu wissen dich in cet.). Quamquam ne hoc quidem remedium ad usus necessarios sufficere locutiones ostendunt »aequum est, licet, convenit cet.«, quae saepe accusativum c. infinitivo requirunt. Iam vero in »nominativo c. infinitivo« ita inhaerescunt viri docti quorum habuimus mentionem, ut ne loco quidem movere pedem inpeditum queant. Quare e scriniis artis conparativae scriptorum hoc solum in nostros usus covertimus, ut infinitivum Latinum a primo nomen verbale fuisse statuamus, quod vim dativi vel locativi haberet; inde innumerabili serie annorum id nomen extorpuisse atque ad verbi notionem traductum putemus, tantum uti parva restarent vestigia notionis dativi vel locativi post verba eundi dandi atque ea quae dicuntur causativa[2]); qui tamen usus alia quoque via ac ratione, sicuti fecimus, explanari potest.

---

[1]) W. Rösch, Wesen u Constr. d. Inf. p. 2 sq.

[2]) J. Schäfler, Die sogen. synt. Graecismen b. d. augusteischen Dichtern p, 68 ff.

De usu infinitivi Horatiano maxime lyrico.

Sed de infinitivo apud sciptores solutae orationis satis dictum est: restat, ut sit videndum, quantum Horatius ad eas quas enucleavimus leges accesserit qualemque in libris carminum se effinxerit: quoniam id secundum erat, quod proposuimus. Qua de re quo rectius iudicari possit, excitandum ante omnia est, quid poëta nobilissimus de usu tyranno senserit in Epist. II, 3, 71: si volet usus, quem penes arbitrium est et ius et norma loquendi; quod si firmiter tenebimus, sine dubio incorruptam profitebimur fidem vel potius persuasum habebimus, Horatium et ipsum patriae consuetudini morem gessisse, nec solum in singulis vocibus eligendis verum etiam coniungendis continuandisque communi voci paruisse, quae quidem contemni non potest, quin omnis illa quae linguae patriae proprietas est naturaque exstinguatur. At Flaccus fines infinitivi in libris carminum saepe relaxavit propagavitque. Ita sane; sed hoc totum fere habet explicationem generis quod quaerimus poëtici, quod ita in adfectibus versatur, ut quae sensibus accipiantur adventicia ea ad animum referantur eiusque quasi laboribus subiciantur. Cui rei proximum est, ut sit in eo genere minimum narrationis, quam constat densiorem esse oportere, ut venia dari possit et pingendis rebus et infinitivo historico adhibendo. Quare hoc non ita admirationem movebit, quod Horatius, qui huic infinitivo saepe indulserit in Epod. Sat. Epist.[1]), hic eo quidem omnino abstinuit, cum praesertim in eo quaedam negligentia structurae adpareat, quae politiori arti minime apta nataque esse videatur. At formae inopia factum est, ut Horatius etiam infinitivum substantivum carminibus expulerit, quo saepius usus est in ceteris operibus[2]); quamquam hic etiam gerundia ac supina arctioribus finibus ab eo circumscripta sunt, solum uti illa octies (Carm I, 2, 29 sq.: Cui dabit partes scelus expiandi; 8, 2: cur properes amando Perdere; II, 2, 9 sq.: Latius regnes avidum domando spiritum; 7, 25 sq. Quem Venus arbitrum Dicet bibendi; 10 1 sq.: Rectius vives — neque altum semper urguendo neque — nimium premendo Litus iniquum; III, 11, 2: Movit Amphion lapides canendo; IV, 11, 30 sq. nefas putando Disparem vites; 14,31 sq.: Primosque

[1]) Epod. 5, 83 sq.: Sub haec puer iam non ut ante mollibus Lenire verbis inpias; Sat. I, 5, 11 sq.: Tum pueri nautis, pueris convitia nautae ingerere; 5, 30 sq. Hic oculis ego nigra meis collyria lippus inlinere; 8, 47 sq.: at ille currere in urbem; 9, 8 sq.: misere discedere quaerens ire modo occius, interdum consistere, in aurem Dicere nescio quid puero. 9, 65 sq.: Male salsus Ridens dissimulare, meum iecur urere bilis; II, 3, 316: illa rogare; 6, 113 sq.: Currere per totum pavidi conclave magisque Exanimes trepidare; 8, 35 sq.: Vertere pallor Tum parochi faciem; 8, 58 sq.: Rufus posito capite — flere; Epist. I, 7, 61 sq.: Non sane credere Mena, mirari secum tacitus; 7, 66 sq.: ille Philippo Excusare laborem et mercennaria vincla.

[2]) Sat. II, 2, 123: Post hoc ludus erat culpa potare magistra; 3, 41: Primum nam inquiram, quid sit furere; 5, 68 sq.: invenietque Nil sibi legatum praeter plorare; Epist. I, 1, 60 sq.: Hic murus aheneus esto nulla pallescere culpa; 6, 1 sq.: Nil admirari prope res est una—quae possit facere et servare beatum; 7, 25 sq.: Reddes dulce loqui, reddes ridere decorum; III, 3, 309: Scribendi recte sapere est et principium et fons; similes loci etiam plures inveniuntur.

et extremos metendo stravit humum[1]), haec semel vel bis legantur (Carm. I, 2, 15: Ire deiectum monumenta regis; III, 2, 10 sq: (ne) sponsus lacessat regius asperum Tactu leonem)[2]) alias munera eorum suscipiente infinitivo. Atque infinitivum h. l. eadem ratione qua post verba auxiliaria usu venire, post copiosius docebimus: hoc tempore satis habemus illud praedicare, quantum Horatius ea quam diximus arte elaboraverit, ut quidquid luderet cum lyra id omne ad voluntatem, studium, odium vel similes adfectus animi referret, quibus homines succumbere solent cummaxime ideoque magis ad veritatem representantur eis ipsis in actione circumvestiti; quod quam sit aptum huic generi de quo agitur, iam supra indicavimus. Neque vero aliud causae fuisse putandum, cur hic noster »accusativum c. infinitivo« in Epod. Sat. Epist. quasi luxuriantem[3]) in hoc genere adstrinxisset — si quidem et verbis adfectus infinitivum nudum subiungere maluit nec pluribus locis quam duobus »accusativum c. infinitivo« post illa verba admisit, qui loci sunt: Carm. II, 13, 29 sq.: Utrumque saevo digna silentio Mirantur umbrae dicere; II, 12, 27: Quae poscente magis gaudeat eripi; sed de altero iure ambigitur, propterea quod verbum quod opponitur negandi quasi clamat illud »gaudeat« in voluntate dictum esse: nam hoc vix quisquam addubitaverit, num verba voluntatis a Flacco semel iterumque coniungantur ea quam quaerimus structura, cuius vestigia manifesta deprehendantur in Carm. I, 27, 9 sq.: Voltis severi me quoque sumere Partem Falerni; II, 12,

---

1) In Epod. Sat. Epist, libris haec occurrunt exempla gerundii: Epod. 14, 5: occidisque saepe rogando; Sat. I, 1, 92: finis quaerendi; 4, 12: scribendi ferre laborem; 4, 65: genus hoc scribendi; 4, 106: exemplis vitiorum quaeque notando; 6, 32: Iniciat curam quaerendi singula; 9, 25: Interpellandi locus hic erat; II, 2, 20 sq.: Tu pulmentaria quaere Sudando: 3, 64: Insanit veteres statuas Damasippus emendo; 3, 150 accedere plures ad numerandum: 5, 58: ludis obscura canendo; 5, 69: donandi parca iuventus; 8, 65: Haec est condicio vivendi; Epist, I, 1, 23 sq.: quae spem Consiliumque morantur agendi gnaviter; 2, 39: differs curandi tempus; 2, 41: qui recte vivendi prorogat horam; 4, 7: Di tibi divitias dederunt artemque fruendi; 7, 85: amore senescit habendi; 16, 22: sub tempus edendi; II, 1, 19: Te nostris ducibus, te Grais anteferendo; 1, 103: scribendi studio; 1, 154 sq.: vertere modum formidine fustis ad bene dicendum delectandumque redactos; 3, 10: Quidlibet audendi semper fuit aequa potestas; 3, 72: norma loquendi; 3, 284: sublato iure nocendi; 3, 305: excors ipsa secandi; 3, 309: Scribendi recte sapere est et principium et fons; 3, 344: Lectorem delectando pariterque monendo; 3, 475: tenet occiditque legendo. Itaque gerundia in Epod. Sat. Epist. 29 leguntur, cum eadem in libris Carm. 8 tantum reperiantur.

2) Supinorum in Epod. nulla, in Sat. et Epist. haec occurrunt exempla: Sat. I, 3, 137: dum tu quadrante lavatum Rex ibis; 4, 115: vitatu quidque petitu sit melius; 4 124 sq.: an hoc inhonestum et inutile factu Nec ne sit, addubites; 5, 48: Lusum it Maecenas, dormitum ego Vergiliusque; 6, 119: Deinde eo dormitum; 6, 125: ire lavatum; 8, 26: horrendus adspectu; 8, 38: in me veniat mictum atque cacatum; II, 4, 89: Ducere me auditum — memento; Epist. I, 3, 18: si forte suas repetitum venerit olim Grex avium plumas; 7, 73: Tandem dormitum dimittitur; II, 3, 5: Spectatum admissi; 3, 107: severum seria dictu (decent). Supina igitur omnino 13 in Epod. Sat. Epist. deprehenduntnr, cum eorundem in Carm. 3 tantum exempla reperiantur.

3) Longum est enumerare exempla, quae sexcenta sunt.

1 sq.: Nolis longa ferae bella Numantiae Nec dirum Hannibalem nec Siculum mare Poeno purpureum sanguine mollibus Aptari citharae modis; deinde loco paulo inferiore ibid. v. 13 sq.: Me dulces dominae Musa Licymniae Cantus, me voluit dicere lucidum Fulgentes oculos. Alibi verba voluntatis quaeque eius generis sunt — excepto II, 17. v. 2: Nec dis amicum est nec mihi te prius obire — ab Horatio nusquam in genere lyrico ad eam firmitatem significationis intenduntur, ut alicuius rei movere possint cogitationem, id quod semper fieri debet in infinitivo c. accusativo coniuncto minimeque respondet carminum naturae. Itaque supersedere possumus explicatione, qui factum sit quoque modo evenerit, ut Horatius verba dicendi ac sentiendi in libris carminum solum 20 vel si verum quaerimus 19 cum accusativo atque infinitivo connexuerit: Carm. I, 2, 21; 5, 10; 5, 13; 7, 28; 8, 13; 13, 13; 28, 30; 29, 10; II, 4, 17; 9, 21; 13, 5; III, 5, 1; 5, 23; 7, 10; 16, 7; 17, 2 (ubi viri docti virgulam censoriam nuper adposuerunt); 28, 5; IV, 9, 1; 11, 30; Carm. Saec. 73; qui numerus conparatus cum Epod. Sat. Epist. sane mediocris videtur ac nescio quam coniunctionem artis habet, qua vates Venusinus carmina in annos singulos magis magisque perpoliri voluit. Itaque nisi forte nos omnia fallunt, Horatium facile putabimus eam legem sibi inposuisse, quam in infinitivo adhibendo in libris carminum sequeretur, ut fines quibus pedestris orationis scriptores nudum infinitivum inclusissent eos ille quidem hortante Musa transiliret, sive colorem et succum quendum orationi additurus, seu metrorum necessitate coactus, ut graciliore filo verba connecteret. Quod quidem num perperam inceperit leviter grassando in oratione patria, infra luculentius ostendemus, ubi ipsa vocabula, quae ad vim verborum auxiliarium revocantur, percensebimus, quantum in ea re Latinitati quantumve Graecorum mori debeatur considerantes. Qua commentatione, si omnia succedent, certe adsequemur, ut Horatius bis reperiatur a legibus patriae orationis recessisse, ut infinitivum ad consuetudinem Graecorum cum vi accusativi relativi qui dicitur conlocaret idque his locis: IV, 2, 59: niveus videri; deinde I, 19, 8: Et voltus nimium lubricus adspici: quorum ille nos plane Theocr. admonet, qui 11, 20 scripsit *λευκοτέρα πακτᾶς ποτιδεῖν*, hic conferri potest cum locutione omnium ore celebratissima *σφαλερὸς βλέπεσθαι*[1]). Quaecunque praeterea viri docti superioris aetatis de infinitivo Graeco in genere Horatiano lyrico per occasionem adnotaverunt, ea omnia ut vana falsaque abicienda sunt, veluti — ut hoc uno exemplo utar — illud »Uxor invicti Iovis esse nescis (III, 27, 73) quasi efflagitat, ut vertatur »du verstehst es nicht zu sein«, non »du bist dir nicht bewusst, dass du's bist«, ut ineptum sit h. l. de usu infinitivi somniare, qui potissimum apud Graecos viget, nonnunquam etiam redit in Sat. et Epist.[2])[3]).

---

1) Cf. Orell. ad . h. l.
2) Nauck ad h. l.
3) Epist. I, 2, 11: Paris cogi posse negat; 7, 22: Dignis ait esse paratus.

De infinitivo Horatiano nudo agitur ostiatim.

Sed iam adgrediamur quae professi sumus eaque vocabula, quibus Horatius nudum infinitivum subiungere solet ante oculos ponamus; qua in re profecto perdifficile erit nil praetermittere — tanta est eorum moles —, sed aberrantibus ab aliquo vocabulo erit concedendum, si pleraque cum industria diligentiaque persequemur.

Iam hoc inter omnes, qui Horati carmina vel primis adtigerunt labris, satis constat, hunc poëtam in verbis auxiliaribus, quae in sermone cotidiano posita essent, ita adquievisse, ut etiam alia permulta ad eorum usum transferre conaretur, quae verborum auxiliarium ipsa natura praeberent quandam similitudinem. In quam altius inquirentibus dubium esse non potest, quin ea sit ipsius causa, quod verba quae quaerimus potissimum revera habeant notionem verborum auxiliarium, sed vario modo inluminatam: nam aut faces metus sunt quae admoventur aut studii, dein amoris odii similium, quibus imago agentis »personae« melius inchoetur atque informetur; quod quidem quantum valeat ad orationem colorandam roborandamque, iam supra indicavimus. Ita facile intellegitur Horatium utrumque consecutum esse, ut et infinitivo post illa verba iure locum daret et satietati animorum quae est omni arti infestissima prospere occurreret, id quod homines docti nomine exornant constructionis, quae ad sensum fit. Quod nomen qui reformidant — quid enim sub sole formidine vacuum? — isti secum reputare debent, duo esse principia, quibus usus dicendi regatur, rationem ac vim sentiendi; ea autem principia saepe inter se pugnare; cumque iusto modo se penetrent, efficere concordiam quae delectet; cum minus, offendere; ex ea porro pugna, cum praevaleat sensus, varias oriri translationes liberioresque in speciem constructiones, quarum usus in oratione pedestri magnus sit, multo maior apud scriptores orationis numeris adstrictae omnium et aetatum et populorum. Quare, quod conceditur omnibus qui altius adsurgunt, neque Horatio vitio vertendum est, si quidem res cogitatione initae arctiore vinculo societatis cohaerent cum vocabulis, quae sensu subadministrantur: idque ipsum videndum est inquirentibus in ista verba, quibus Flaccus singulari quodam modo nudum infinitivum subiungere solet. Cui rei quo facilius satisfaciamus, omnes locos tractabimus, ubi nudus infinitivus verbis adiungitur; etiam exempla aliorum scriptorum in medium proferemus, uti quantum Horatius vestigia scriptorum superioris aetatis presserit melius cognoscatur.

Principio h. l. adscribenda sunt exempla, ubi »velle« ac »malle« infinitivum iusto modo socium adsciscunt: I, 3, 16: tollere seu ponere vult freta; II, 12, 21 sq.: Num tu — Mygdonias opes Permutare velis crine Licymniae?; III, 3, 60: (ne) Tecta velint reparare; III, 24, 25 sq.: O quisquis volet inpias Caedes et rabiem tollere civicam; III, 27, 63 sq.: nisi erile mavis Carpere pensum Regius sanguis dominaeque tradi Barbarae paelex; IV, 13, 3: Vis formidosa videri.

Sequuntur, ubi meditari[1]), meminisse[2]) dignarique[3]) idem valent ac »velle secum reputantem« ideoque in eadem causa sunt, ut verba supra dicta: III, 8, 28 sq. Iamque Scythae laxo meditantur arcu Cedere campis; IV, 12, 22 sq.: non ego te meis Immunem meditor tingere poculis; I, 7, 17: sic tu sapiens finire memento Tristitiam; II, 3, 1: Aequam memento rebus in arduis Servare mentem; II, 17, 30 sq.: Reddere victimas Aedemque votivam memento; III, 28, 32 sq. Quod adest memento Conponere aequus; IV, 3, 14 sq.: Dignatur suboles inter amabiles Vatum ponere me choros.

Porro in voluntate, quae ad animum ipsosque adfectus pertinet. exstant quaedam verba inpersonalia. quae etiam in oratione pedestri per adsynesin cum infinitivo coniunguntur veluti „placet" et „libet", quorum illud nescio quomodo saevum protevumque, hoc animum significat propensum apud Horatium: I. 34. 10 sq.: cui placet inpares Formas atque animos sub iuga ahenea saevo mittere cum ioco; III, 25, 12: ut mihi devio Ripas et vacuum Mirari libet (libenter miror[4]). Accedit huc „amare", cui Horatius subiecit primus infinitivum, propterea quod est „cum amore vel libenter velle" cf. III, 9, 24: Tecum vivere amem, tecum obeam libens; I, 2, 45 sq.: Hic ames dici pater atque princeps; deinde II, 3, 9 sq.: Quo pinus ingens albaque populus Umbram hospitalem consociare amant Ramis; ubi praeclare Orellius „sensum amoris, quo ramis sese implicantibus umbram ita coniugant. ut duabus sub arboribus una umbra fruatur viator, ipsis arboribus tribui; non enim esse (amant) simplex illud φιλοῦσι (solent)"; quod idem quamvis sollicitemur ipsis verbis tenere debemus in III, 16, 9 sq.: Aurum per medios ire satellites Et perrumpere amat saxa. Deinde est „gaudere" idem ac „gaudentem velle": I, 34, 16: (hinc apicem rapax Fortuna cum stridore acuto Sustulit) hic posuisse gaudet[5]); III, 6, 31 sq.: Motus doceri gaudet Ionicos Acerba virgo; III, 18, 15 sq.: Gaudet invisam pepulisse fossor Ter pede terram; quae voluptas sentitur nec tamen declaratur verbis III, 9, 16: Pro quo bis patiar mori. Denique eodem pertinet per „adsynesin" „iuvat" I, 1, 3 sq.: quos—pulverem Olympicum Collegisse iuvat.

At „velle cum cupiditate" exornatur verbo, quod usitatissimum in oratione soluta est, „avendi", etiam „gestiendi"[6]), tum vero „furendi"[7]): IV, 11, 6 sq.: ara castis Vineta verbenis avet inmolata Spargier agno; III, 16, 23 sq.: et transfuga divitum Partes linquere gestio; IV, 12, 14: Sed pressum Calibus ducere Liberum Si gestis; I, 15, 27: Ecce furit te reperire atrox.

---

1) Cic. Phil. 2, 45: meditatur regnare.
2) Verg. Georg. II, 259: terram memento excoquere.
3) Verg. Aen. IV, 192: cui se pulchra viro dignatur iungere Dido.
4) Nauck a, h, l.
5) Verg. Aen. II, 239: funemque manu contingere gaudent.
6) Cic. Phil. IV, 6, 14: senatum delere gestit.
7) Simillimum est, quod. leg. ap. Ovid. Met. I, 220: manus inpia saevit Romanum exstinguere nomen.

Iam velle cum studio rei perficiéndae est tritissimum illud „studere“: IV, 2, 1: Pindarum quisqnis studet aemulari quodque eandem notionem habet „unum opus est alicui“: I, 7, 5 sq.: Sunt quibus unum opus intactae Palladis urbem Carmine perpetuo celebrare (=quibus praecipuum studium est, qui ante omnia student). In eodem autem numero sunt nonnulla verba, quae ad maiorem artem accedunt ut curare[1]), quaerere[2]), tendere[3]), eniti[4]), urguere[5]), certare[6]), laborare[7]), persequi[8]), quorum pars ne ab scriptoribus quidem solutae orationis respuitur: II, 7, 23 sq. Quis udo Deproperare apio coronas Curatve myrto; II, 13, 39 sq.: Nec curat Orion leones Aut timidos agitare lyncas; III, 5. 29 sq.: Nec vera virtus — Curat reponi; I, 16, 25 sq.: nunc ego mitibus Mutare quaero tristia; III, 24, 25: Si quaeret „Pater Urbium“ subscribi statuis; III, 27, 55: quaero Pascere tigres; IV, 1, 12: Si torrere iecur quaeris idoneum; I, 29, 15: Mutare tendis; III, 27, 46 sq.: Lacerare ferro et Frangere enitar modo multum amati Cornua monstri; II, 18, 20 sq.: urgues Submovere litora: I, 1, 8: Certat tergeminis tollere honoribus; II, 3, 11 sq.; Quid obliquo laborat Lympha fugax trepidare rivo; I, 23, 9 sq.: Atqui non ego te tigris ut aspera Gaetulusve leo frangere persequor.

Age vero „properare[9]), trepidare[10]), occupare[11])“ nonne eodem modo resolvendum? Equidem non dubitaverim, quin I, 8, 2: „Sybarin cur properes amando perdere“ idem sit ac „cur velis celeriter perdere“; deinde II, 4, 22 sq.: „Cuius octavum trepidavit aetas claudere lustrum“ quin significet, aetatem celeriter quasi voluisse claudere lustrum; nam ibi poeta ita Xanthian consolatur, ut se rapido cursu annorum quadrigenarium factum ob eamque rem minus aptum dicat ad res venereas; quare errant, qui h. l. de cunctatione temporis coniectant, quamquam ne tum quidem quidquam in infinitivo mutatur. Denique illud, quod legitur II,12 28: „(quae) Interdum rapere occupat“, si sententiam quaeras, plane idem est ac „quae anteoccupando rapere vult.“

Iam mitto quaerere de verbis voluntatis, quae notionem conatus coniunxere, cuius generis est „audere, conari, sim“, quae constanter apud Latinos infinitivum recipiunt; satis habeo admonere, etiam „sumere“ ex eo genere esse apud Horatium; sequuntur éxempla Horatiana: III, 24, 25 sq.: indomitam audeat Refrenare licentiam; IV, 7, 5 sq.: audet Ducere nuda choros, Carm. Saec. 58 sq. redire virtus Au-

---

1) Cic. fam. I, 9, 16: neque—redire curavit.
2) Verg. Aen. VI, 614: ne quaere doceri.
3) Verg. Aen. II, 220: Laocoon manibus tendit divellere nodos.
4) Sall. Iug. 14, 1: simul eniterer — maxumo usui esse.
5) Ante Horatium non occurrit.
6) Verg. Ecl. 5, 9: Quid si idem certet Phoebum superare canendo.
7) Ovid. Met. 18, 285 arma — quae nunc quoque ferre laboro.
8) Plaut. Aul. IV, 1, 1: facere quod ego persequor.
9) Verg. Aen. III, 41: parce pias scelerare manus.
10) Horat. primus videtur usurpasse plorare c. inf.
11) Verg. Aen. IX, 200: adiungere — fugis?

det; I, 6, 5 sq.: Nos Agrippa neque haec dicere — Conamur; I, 12, 1 sq.: Quem virum aut heroa lyra vel acri Tibia sumis celebrare[1]).

Itaque vix mirandum est, quod etiam verba contrariae significationis infinitivi societatem ineunt, ut „spernere"[2]) ab ea quam quaerimus structura propterea non recedit, quod est „prae despicientia fastidioque nolle": I, 1, 19 sq.: Est qui nec veteris pocula Massici Nec partem solido demere de die spernit; item „parcere"[3]), quod in eum cadit, qui cura diligentiaque alicuius vel parsimonia ductus nolit: I, 28, 23 sq.: At tu nauta vagae ne parce malignus arenae Ossibus et capiti inhumato Particulam dare; III, 8, 26: Parce privatus nimium cavere — qui locus tamen tentatur a Meineckio aliisque —, III, 28, 7: Parcis deripere horreo amphoram; mox significat „plorare"[4]) propter misericordiam nolle: III, 10, 2 sq.: me tamen asperas porrectum ante fores obicere incolis Plorares Aquilonibus; „fugere[5]), refugere[6])"=„quod periculosum vel molestum est, prae timore nolle": I, 9, 13 quid sit futurum cras fuge quaerere; I, 1, 34 Lesboum refugit tendere barbiton. Sed magis declaratur metus verbis timendi, metuendi, perhorrescendi: I, 8, 8 Cur timet flavum Tiberim tangere[7]); III, 24, 54 venarique timet; III, 9, 11 Pro qua non metuam mori[8]); III, 11, 10 metuitque tangi; III, 14, 14 sq. ego nec tumultum nec mori per vim metuam; IV, 5, 20 Culpari metuit fides — quippe quae stimulis religionis pungatur nolitque ab honesto aberrare culparique —; III, 16, 18 sq.: Iure perhorrui Late conspicuum tollere verticem[9]). „Odisse" est „odio incitatum nolle": II, 16, 26 Oderit curare[10]). „Nolle" cum notione negativae enuntiationis est „denegare": III, 16, 38 Nec si plura velim, tu dare deneges i. e. negans recuses[11]).

Sed iam adferunt quaestionem veba auxiliaria, quae actionis initium finem continuitatem significant, quae sunt magnam partem nota e scriptoribus solutae orationis, apud Horatium partim desiderantur partim dilatantur variis exornationibus. Ex eo genere sunt apud Horatium „desinere": I, 23, 9, 10 Tandem desine matrem Tempestiva sequi viro; III, 3, 70 sq.: Desine pervicax Referre sermones deorum et Magna modis tenuare parvis; III, 15, 4 sq. Maturo propior desine funeri Interludere virgines Et stellis nebulam spargere candidis; IV, 1, 4 sq. Desine — Circa lustra decem flectere mollibus Iam durum imperiis; „omittere": III, 29, 11 omitte mira-

---

1) Nauck a h. l.
2) Ovid. Met. IX. obsequio deferri spernit.
3) Verg. Aen. III, 41: parce pias scelerare manus.
4) Horat. primus videtur usurpasse plorare c. inf.
5) Verg. Aen. IX, 200: adiungere — fugis?
6) Cic. Phil. 14, 3, 9: refugit animus atque dicere reformidat.
7) Caes. bell. civ. I. 64, 4: etsi timebat tantae magnitudinis flumini exercitum obicere.
8) Catull. 64, 146: nil metuunt iurare.
9) Catull. 14, 24: manusque vestras non horrebitis amovere nobis.
10) Plaut. Amph. 3, 2, 19: osa sum obtuerier.
11) Ter. Heaut. 487: Dare denegaris.

ri[1]). Sed haec prosam redolent, at poëticam „mittere" i. e. cum vi desinere: I, 38, 3 Mitte sectari[2]); „remittere", quod proprium eius est, qui aliquid ante urget intenditque: II, 11, 3 remittas quaerere[3]); „cessare": III, 27, 58 Quid mori cessas[4]); „differre": IV, 4, 21 quaerere distuli[5]); „pergere": II, 18, 16 Novae pergunt interire lunae[6]). Item vulgare est „solere": I, 25, 14 Quae solet matres furiare equorum; per synesin accedit: I, 27, 1, 2 natis in usum laetitiae scyphis Pugnare Thracum est (i. e. solent pugnare), cf. III, 29, 57.

Tertio loco referenda sunt nomine „auxiliarium" „posse" quaeque ea cognatio est, quam poëtae magis adamarunt: I, 14, 7 sq. Vix durare carinae possunt inperiosius Aequor; I, 27, 21 Quae saga, quis te solvere Thessalis Magus venenis, quis poterit deus; I, 29, 11 posse relabi; II, 14, 19 sq. potuisse nasci Matre pudenda; III, 3, 43 sq. possit Roma ferox dare iura Medis; III, 11, 13 sq. Tu potes tigres comitesque silvas Ducere et rivos celeres morari; III, 11, 31 sq. Inpiae sponsos potuere duro Perdere ferro; III, 14, 19 sq. si qua potuit rogantem Fallere testa; III, 27, 58 sq. Potes—laedere collum; III, 30. 4 Possit diruere; IV, 8, 11 sq. carmina possumus Donare et pretium dicere muneris; IV, 13, 26 Possent ut iuvenes visere fervidi; Carm. Saec. 11 sq. possis nihil urbe Roma Visere maius; I, 34, 12sq. Valet, ima summis Mutare[7]), II, 5, 1 sq. Nondum subacta ferre iugum valet Cervice, IV, 7, 27 sq. Nec Lethea valet Theseus abrumpere caro Vincula Pirothoo; III, 13, 10 Nescit tangere[8]), III, 24, 54, sq. Nescit rudis Haerere ingenuus puer, III, 27, 73 Uxor invicti Iovis esse nescis; IV, 9, 49 Duramque callet pauperiem pati[9]), quod recte se habet, si quidem duo extremae huius carminis strophae sunt genuinae nec cum Peerlkampo et Linkero Horatio abiudicandae; III, 27, 74 sq. bene ferre magnam Disce fortunam[10]); III. 2, 1 sq. Angustam amice pauperiem Robustus acri militia puer condiscat[11]).—Per synesin quam saepius dicimus eodem pertinet III. 29, 42 sq. cui licet dixisse; II, 19, 9. Fas pervicaces est mihi Thyiadas cantare; I, 11, 1 scire nefas, III, 24, 24 et peccare nefas, IV, 4, 22 nec scire fas est omnia (sed ibi v. 18—22 recidendos esse monuerunt Guietus, Iani, Buttm., Peerlk., Mein., alii): IV, 11, 30 sq. (et ultra) quam licet sperare nefas putando Disparem vites; II, 8, 9 sq. Expedit (scil. tibi) matris cineres opertos Fallere i. e. sine damno potes. Atque haec communia omnium scriptorum.

Proxime accedunt, quae in necessitate qua aliquis premitur dicuntur, quorum apud Horatium cum magnus fit usus tum maiore cum licentia.

---

1) Cic. Brut. 76, 266: lugere.
2) Ter. Andr. 5, 3, 2: mitte male loqui.
3) Ter. Andr. 827: remittas iam me onerare iniuriis.
4) Etiam in pros. Cic. Att. 11, 11, 2: non cessat detrahere.
5) Fortasse nemo praeivit.
6) Cic. Caec. 21, 59: Perge — hoc idem interdictum sequi.
7) Verg. Aen. II. 491: nec claustra neque ipsi custodes sufferre valent.
8) Cato, r. r. 5. uti sciat facere.
9) Lucr. II, 978 dicere callent.
10) Sall. Iug. 101, 6: loqui didicerat.
11) Cic. Planc. 5, 13: condiscas supplicare.

